



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modus Secundus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)



*cissima illa verba, quibus Deus se nostrum esse quoti-  
die persuadet, id est, Pater noster, audire non merui:  
cum præsertim, idem Dominus, gratissimum id sibi  
ostendens. Jer. 3, 4. edixerit. Frons mulieris mere-  
tricis facta est tibi, nolui stuerubescere. Ergo saltem  
à modo, vocame, Pater meus, & Dux virginitatis  
mea. Expende pii senis, & scripturæ sacræ dulces  
affectus, cui similes dabunt concordantiæ scriptu-  
rarum: Nobis sub proposito suscepto, non licet esse  
tam disertis. Felices! qui cum Deus nostrum ha-  
beri se cupit, cum Thoma respondeat. Dominus  
meus & Deus meus. Joann. 20. aut cum Francisco  
Seraphico, decernant. Deus meus & omnia, aut  
sponsæ gratiam mereantur protestantis. Dilectus  
meus mihi & ego ipsi Cant, 2.*



## MODVS SECUNDVS.

**P**ER Reflexionem, ad usum alicujus rei communem  
sive is communis sit locis, provinciis, Regnis  
particularibus: sive magis universalis toti orbi aut  
Ecclesiæ. Proceditur autem duplici modo: aut usus  
illius, & consuetudinis, naturam, causas, cæteraque  
adjuncta, examinando atque explicando: aut re-  
flectendo se, supra materiam objectam sermo-  
nis & quibus illa usibus, publicis, aut privatis  
deserviat, inquirendo. Exemplum primi dare  
potest die Purificationis Beatæ Virginis Mariæ,



in quo potest agi. *Cur hic dies, dicatur, dies candela-  
rum, & in eo candela consecrentur.* Esse autem po-  
test causa V. G. Quia hic dies est substitutus festo  
Cereris & Proserpinæ, quæ cum facibus celebra-  
bantur, ut docet Canis. libro 4. cap. 12. 2. Quia  
hodie illuxit palam in templo, novum lumen Chri-  
stus, prophetante Simeone, quod sit paratum ante  
faciem omnium populorum: ut si non rectè abin-  
de ambulatur, non adscribatur lumini, sed errare vo-  
lenti, & oculos claudenti, ad splendorem eius inquit  
Cassian. 3. Significatur pulchritudo D. V. Mariæ  
quod in tenebris communis Purificationis, inno-  
centissima apparuit: & tanquam lux fulsit, *totâ pul-  
chra sine macula, & sine fumo, solumque lucerna lu-  
cens & ardens, ut loquitur de Baptista, caput Joan. 5.*  
4. Significatur vitæ nostræ exitus, pro quo Simeon  
orat, ut fiat in pace, ad quam dum imus, ut lumen  
deficimus. 1. Ab ipso accensæ lucis & vitæ mo-  
mento. 2. Insensibiliter ut candela. 3. Ita ut faci-  
limè extingui possimus. 4. Et sæpe insperatissimè.  
Bene hæc lucerna ardet illi, cui inextincta virtus du-  
rat, donec eo perveniat, quando extremum agenti  
vitæ, candela sacrata in manus more Christiano  
conferetur. Væ autem illis, de quibus Baruch. cap.  
6. *Lucernas accendunt, & quidem multas, ex quibus  
nullam videre possunt.*

Exemplum secundi, dare item potest Dominica  
Sanctissimæ Trinitatis ad illud thema. *In nomine  
Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Reflectere enim  
se quispiam posset. Quibus usibus piorum, hæc  
forma verborum, deserviat, atque eos usus ad lau-  
des



des Sanctissimæ Trinitatis referre. E. g. 1. solemus hac forma uti in professione nostræ fidei. Et quando hæc, magis fidelem decet, quam hoc die Sacratissimo? Exurgat Deus & dissipentur inimici eius! dissipentur Athei, contra quos Deum profite-mur: dissipentur falsi multorum Deorum cultores, contra quos unum Deum credimus: dissipentur Arriani, contra quos Patrem & Filium personas æquales, ejusdem individua Deitatis credimus &c.

2. Solemus hac forma uti, in eventibus admirandis, ut si quid insperatum, grande, ingens contingat stupentes exclamemus. In nomine Patris: quid hoc? quomodo factum est &c. An verò est dies? aut est occasio? in qua nobis majora se miracula offerant, quam hodie? audimus Patrem, ab æterno generantem, & in æternum generaturum sine prolis auctione, quid hoc miraculi? Audimus Filium ab æterno generatum, semper tamen generari. Quid hoc miraculi? Audimus Deum in natura unum, in personis trinum, unde verè unum, & verè trinum. Quid hoc miraculi? Sic possent alia attributa, tam essentialia, quam Personalia percurrari, omnia utique unâ admiratione concludenda. In nomine Patris &c. &c. 3. Solemus hac forma uti in omnibus benedictionibus rerum. Verè enim benedictio nostra Sanctissima Trinitas est, & neq; in hac vita aliter benedicti esse possumus, quam in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, neque etiam in futura: in qua tota benedictio, est Sanctissimæ Trinitatis visio. Sed sit.



Dominica 24. à Pentecoste.

*Mittet Angelos suos, cum tuba & voce magna,  
Matth. 24.*

**A**ccessus & Propositio. Tuba suprema sonat, quis aures non erigat? Heu, nimis gravem letalemque somnum dormimus, si ad hanc vocem, non excitamur? Vox enim hæc, vox belli non pacis est. *Populi, populi in valle occisionis Joel. 3. quia juxta est dies Occisionis, & pugnabit, cum Deo, orbis terrarum contra insensatos Sap. 5, 21.* Demus igitur aures, terrificæ tubæ; & quis usus illius in hoc bello futurus, consideremus.

Confirmatio, per Reflexionem ad usum  
Tubæ in bellis, applicatum Materiæ  
judicii Divini.

Quadruplex potissimum usus tubæ, adhibetur in bellis. Datur enim Tubâ signum 1. Ad militem excitandum, & præparationem 2. Ad progressum. 3. Ad pugnam. 4. Ad triumphum de hostibus & vindictam. Ideo igitur in tremendo quoque Dei judicis bello, cum tuba audietur, hoc insonabit. Et.

*Primo* excitabit mortuos, & designabit præparationem. Audient enim illam mortui, imprimis per revelationem, & mox à resurrectione, auditu corporeo has aut similes voces frementem, *Surgite mortui, ad judicium.* O quot erunt, qui mallent audire. Perite, Anni-hilemini? Gravis, ac terrificus homini sopito, clamor repentinus accidit: qualis  
accidit,



accidit, vocis illius horrendæ, hominibus, tot centenis, atque millenis annis, soporatis? Heu miseros peccatores! cum viderint diffindi petras, aperi-ri montes, revolvi subito immensa pondera; seque & suæ sortis, infelices ubique perdi, undique extur-  
 bati socios, nudos, squalidos, trementes, horrenda visum monstra. Hæc erit præparatio eorum: cum è contra adventabit filius hominis, cum Majestate magna: sol & luna armabitur tenebris, stellæ ca-  
 dent, virtutes cælorum commovebuntur, cæli ar-  
 debunt, terra tremet, mare mugiet. *O lacrymæ ubi estis? Calmemus meritò cum Bernar. Ser. 27. fontes fluite super faciem meam. Deus meus quid faciã cum venerit iudicium tuum, quid dicam peccatrix ani-  
 ma? Va diei, in quo peccavi, utinam non luxisset sol sus-  
 per me!*

*Secundo.* Dabit signum progressus ad bellum. *Jol. 3. Erumpite & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini, ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos. Jerem. 4. 19. Vocem buccina, audivit anima mea, clamorem populi. Contritio super contritionem vocata est. Contritio dum suscitantur, contritio dum ascendere coguntur. Contritio, sed inutilis: Contritio, sed longe dispar à corde humiliato & contrito. Crescet interea sonus tubæ, & omnes, divina vi, compellentur ad vallem Josaphat, Mediam inter Jerusalem & montes olive-  
 ti. Manlio, Capitolii defensi aspectus, in judi-  
 cio ambitus, ut habet Liv. tantum profuit: quod non nisi averfis à Capitolio iudicum sedibus da-  
 mnari potuerit: Jerosolymæ & Calvaria obtutus,*

*spera*



spem veniæ peccatoribus eripiet. Profundius verba illa, à lictore ingeminata, Marium penetrasse creduntur; quibus artem illi fabrilem exprobrans, ictui subdidit. *Hic est gladius, quem parasti, quam ipse penetravit gladius: profundissimè ferient peccatores, conspecta salutis contemptæ instrumenta, quibus una erit vox. Hi sunt gladii, quos parasti.* Tunc ut ait Hieron, *Lugubre mundus immugiet, humanis vocibus, præ ingenti dolore ac timore deformatis: Tribus ad tribum pectora ferient, vel sanâ desperatione omnibus afflictis, sub quæ capita quoque mutuo collident, ut impleatur scriptura Psalm. 109. conquassabit capita in terra multorum.* Capita O capita! quam audacter elevamini, quam miserè conquassabimini! *Reges nudo pectore palpitabunt.* Huccine fors tua Juli recidit? huc tua Auguste? ubi potentia, ubi regnum! Palpitabunt? Mundus est Mare, Reges ceti nullum in hoc mari timentes, sed extracti in littus, palpitabunt. Unde, *simile est regnum cælorum sagena missa in mari.* Matth. 13. *Adducetur stultus, cum suis Plato discipulis, & Aristotelis argumenta nihil proderunt.* Si stultus Plato, si Aristoteles convictus! valeat Plato, valeat Aristoteles, dum integra sit salus. Beatior est rudissimus è mundo, si norit servare decem Dei præcepta, quam sapientissimus è Philosophis, si his neglectis, indaget subtilissimè, decem Aristotelica prædicamenta.

*Tertio urgebiti bellum. Ad rem est ventum Jer. 5. 25. Aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ. O spectaculum! Hinc homo, omni ope*



ope destitutus: inde Deus, ut omnes creaturæ. *I-*  
*àunt directe emissiones fulgurum. Sap. 5. & tanquam*  
*a bene curvato arcu nubium, exterminabuntur, &*  
*ad certum locum insilient, & à petrosa ira plena mit-*  
*tentur grandines. Excandescet in illos aqua maris,*  
*& flumina concurrent duriter. Contra illos stabit*  
*Spiritus virtutis, & tanquam turbo venti dividet il-*  
*los. Hæc corporum oppugnatio: quæ animi! Sur-*  
*get enim vero contra hominem accusando, cœlum,*  
*terra, tempus, homines varii, ac potissimū consci-*  
*entia Psalm. 94. Arguam te & statnam contra faciem*  
*tuam. Quid hoc monstri, quando tu homo stabis*  
*contra te! Tu & non tu, idem & non idem. Tu*  
*ad similitudinem Dei creatus, contra te ad similitu-*  
*dinem diaboli mutatam. Tu, ratione supra alias*  
*creaturas præditus: contra te ratione in malè fa-*  
*ctis destitutum. Tu, ad æternam felicitatem desti-*  
*natus, contra te, miserè & sponte ab ea decidentem!*  
*Sic statueris tu contra te. Tu infelicitatem supre-*  
*mam clare cognoscens: contra te, eam antehac*  
*considerare nolentem. Tu extrema mala tua pa-*  
*vens, contra te, ea effugere non valentem, Tu in-*  
*felix & desperatus, contra te, salutis media con-*  
*temnentem. Statueris tu contra te. Tu tremens,*  
*contra te audacem. Tu igneus, contra te impurum.*  
*Tu diaboli ludibrium, contra te superbum. Tu*  
*contemptus; contra te, primatus ambientem: sta-*  
*tueris denique tu, contra te, pugnante intellectu,*  
*memoria, voluntate, & omnibus potentiis ac sen-*  
*sibus contra te. *Heu dies ille Domini Dei exercituum**  
*dies ultionis, ut sumat vindictam de inimicis: devo-*  
*rabit*



bit eos gladius, & satiabitur, & inebriabitur sanguine eorum. Jer. 46. 10. quare & tuba

Quarto resonabit, ad urgendam cædem hostium, & vindictam de illis continuandam. Jsa. 1. 24. Propter hoc ait Dominus. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Nihil à iudicis sententia restabit, nisi vindicta. Vindicta contemptæ Majestatis Divinæ, vindicta abjectorum salutis mediorum, vindicta sanguinis Christi. Igitur Ezech. 21. *Et duplicetur gladius, & triplicetur gladius. Hic est gladius occisionis magna.* Cadent omnes impii interfecti, sicut oves in inferno positi ut ait, Psal. 40. neque satis erit vindictæ, sed duplicabitur gladius, & ad infernam secuta mors, *depascet eos.* Unde & Ezech. 5. *Gladium nudabo post eos, qui scilicet persequatur damnatos ad inferos: sed & rursus, triplicabitur gladius ac innumerè quoque multiplicabitur, toto æternarum pænarum pondere damnatis incumbente, ut continuò pereant, nunquã perituri, continua morte moriantur, nunquam morituri.* *Hæc est mors secunda, in qua dolor non cessat ut cruciet: & natura non deficit, ut sentiat: inquit D. August. de Civ. Dei. Igni eris cibus, sanguis tuus, erit in medio terra, oblivioni traderis* ait Ezech. 21. O vindictam tremendam! O hostes Dei infelicissimos! Ignis cibus, duo habet 1. Quæ in substantiam ignis vertitur 2. Quia ut sit cibus, non debet deficere ei materia, sic peccatores in ignem suppliciorum versi, non tamen deficient, ut sint ignis, & simul sint materia æterna tormentorum, unde & additur, *sanguis tuus erit in medio terra, quia cum*

cum



cum innumeris temporibus arserint : stillabunt  
semper, recentem sanguinis succum ; donec tot sæ-  
cula transeant , ut oblivioni æternæ tradantur : &  
Deus qui de illis salvandis , ab æterno cogitavit ;  
nullam, de liberandis ex inferno, sit in æternum co-  
gitationem suscepturus. Apoc. 14. *Fumus eorum  
in secula seculorum.* Fumus utique ex lignis surgit,  
quæ habent materiam non consumptam : imo hu-  
more abundantem. Tales erunt damnati, nec un-  
quam esse desinent : hoc unum tuba tremenda, per  
totam æternitatem super illos insonante. *Fumus  
eorum in secula seculorum.* Heu mortales ! cum  
Cypri. lib. 2. ad Desi. inclamo : *Securitati & vita,  
dum licet providete. Nam tunc, nec resistendi erit  
virtus, nec fugiendi facultas, nec pœnitentiæ locus,  
nec satisfactionis tempus,* teste D. Chrys. in Matth.  
Unde & Angelus juravit per Deum viventem, quia  
*tempus non erit amplius,* Apoc. 10. O non erit ! ô  
vox omnia viscera conturbans ! ô tuba ! ad cujus  
sonitum anima liquefcit ! *Erit,* est omnium malo-  
rum solatium. *Non erit,* est omnium malorum  
desperatissimum signaculum.



## MODUS TERTIVS.

**A** Ssumptâ Evangelii aut Scripturæ sententia,  
juxta diversos, & ab ecclesia receptos sensus  
explicatur. Est autem sensus scripturæ quadru-  
plex. Literalis, sive historicus. Moralis, ex quo  
instructio morum formatur. Allegoricus, seu My-  
B sticus,